

duxit. *DA.* quid narras? *GE.* hoc quod audis. *DA.*
o Geta,

quid te futurumst? *GE.* nescio hercle; unum hoc scio,
quod fors feret feremus aequo animo. *DA.* placet:
em istuc virist officium. *GE.* in mē ōmni' spes mihist.

140 *DA.* laudo. *GE.* ad precatorem adeam credo qui mihi 90
sic oret: "nunc amitte quaeso hunc; ceterum
posthac si quicquam, nil precor." tantummodo
non addit: "ubi ego hinc abiero, vel ōccidito."

DA. quid paedagogus ille qui citharistriam,
145 quid rēi gerit? *GE.* sic, tenuiter. *DA.* non multum 95
habet

quod det fortassē? *GE.* immo nil nisi spem meram.

DA. pater ei(u)s rediit an non? *GE.* nondum. *DA.*
quid? senem

quoad expectati' vostrum? *GE.* non certum scio,
sed epistulam ab eo adlatam esse audivi modo

150 et ad portitores esse delatam: hanc petam. 100

DA. numquid, Geta, aliud me vis? *GE.* ut bene sit tibi.
puer, heus. nemon hoc prodit? cape, dā hōc Dorcio.

ANTIPHO PHAEDRIA

AN. Adeon rem redisse ut qui mi consultum optume velit
esse,

Phaedria, patrem ut extimescam ubi in mentem ei(u)s ad-
venti venit!

155 quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem ut par fuit.